DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA DE GLACIEI USU IN MORBIS CHIRURGICIS.

QUAM

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

CAROLO ALEXANDRO

MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.

CONSENSU

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN LITTERARUM UNIVERSITATE JENENSI

PRO

GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

JURIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE OBTINENDIS

DIE III M. SEPTEMBRIS A. MDCCCLIX

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS GUSTAVUS ROBERTUS WAECHTER

APOLDANUS.

OPPONENTES

GOULLON, Dr. med., PRELLER, Dr. med.

JENÆ

TYPIS RATII.

Jam tempore imperatoris Augusti frigus adhiberi posse ad morbos sanandos medicis notum erat et ab iis adhibebatur. Ab Antonio Musa quidem libertino et medico, qui methodicorum partes sequebatur Augustus imperator fomentationibus frigidis et lavationibus servatus esse dicitur. Sed quum nepos Augusti Marcellus eadem ratione tractatur periret Musae fama et remedii illius illabescere coepit. — Latior glaciei usus recentiore demum tempore ad morbos chirurgicos sanandos rursus introductus est. Mirum quidem, quod hoc remedium, quod medici carere nequeunt, medico tamdiu latuit. Glacies quominus ad morborum internorum curam adhiberetur quam maxime impeditum est doctrina illa de metastasibus nostro demum tempore restricta. Eae enim metastases , quas valde timebant medici antiqui temporis, in primis frigore adhibito evenire false putabantur. Quod si ad rheumatismum articulorum acutum, qui frigore tractabatur, affectio cordis accederet, eam metastasin esse putabant, eo orta, quod id, quod noceret, frigore ab articulis in cor propulsum esset. Etiamsi rheumatismi acuti frigore sanandi defensor exstare nolim, quum experientia frigus in omnibus morbis rheumaticis idoneum non esse docuerit, attamen cordis affectio frigoris usui tribui non potest, ea quum saepissime etiam ad acutas artuum affectiones, quae *calore* tractantur, postea accedat. — In iis ipsis morbis, in quibus antiphlogosin fortem certo loco adhibitam saluberrimam vim exercere maxime apparet, ut in hyperaemia cerebri et in acutis oculorum inflammationibus eo ma-

gis frigus adhibere medici cunctabantur, quo nobilius erat organon. — Nostri demum medici timorem periculorum illorum plerumque inanem superarunt, ita ut Hebra in erysipelatibus faciei capitisque continuo fomentationes glaciei facere non vereatur neque unquam signa metastaseos se observasse contendat. — Morbis chirurgicis in primis fracturis complicitis et aliis gravibus laesionibus Stromeyer prae aliis glaciem adhibere suadet, postquam jam Schmucker laesionibus capitis fomentationum calidarum et vinosarum loco fomentationes frigidas adhibens, exemplum praebuit. Stromeyer progressus est in via, quam aperierat Schmucker et frigore non solum in laesionibus capitis sed etiam aliarum partium usus est. Idem frigoris applicationis formam, fomentationum temperationem semper mutantium loco, irrigationes et sacculos glacie impletos adhibens, aptissime excoluit. Irrigationes, quamvis facile instituantur, raro tantum usurpantur, quod ad partes extremas tantum membrorum usque ad genu et articulationem cubitalem applicari possunt. Ita instituuntur, ut membrum ponatur in magnum linteum ceratum ita extensum, ut aqua in vas suppositum defluere possit. Juxta lectum in loco elato vas aqua completum collocatur, in quod sipho elastica altera parte pondere quodam gravata, immissa est, altera parte siphonis elasticae epistomium est, quod in varias regiones facillime duci potest. In summam partem laesam pulvillo simplici obtectam aqua e siphone educitur. Multo facilius omni parti corporis exterioris sacculi glacie completi adhibentur. — Ex quo tempore demum „Cautschouk vulcanisatus“ ad glaciem reservandam adhibetur, quo periculo, ne omnes partes circumjacentes permadescant, praecavetur, usus glaciei paene ubique probatur. Vesicae animalium, qui-

bus antea usi sunt medici, sive quod attinet ad soliditatem, sive ad densitatem, aliquanto postponendae sunt.

Nunc etiam sunt qui usum glaciei improbent hisce quidem caussis:

1) In hominibus qui ad arthritidem et rheumatismum proni sunt, frigus saepe exacerbationes efficit, postquam arthritis et rheumatismus remissi sunt per longum tempus.

2) Texturae fibrosae et serosae frigoris impatientes sunt, quia dolor glacie applicata statim augetur et saepissime inflammationes cutis erysipelatosae oriuntur. Haud raro etiam in partibus frigori aliquando expositis, calendarium, quod dicimus, remanet, quo verbo significatur, membra prius frigori exposita, si tempestas mutatur, dolore affici.

3) Frigus nullo modo usque ad interiora strata penetrat quia texturae organicae frigus male conducunt. Inflammationem igitur non tollit, quod erat propositum, sed in contrario venas superficiales contrahens sanguinem in texturis interioribus cumulat, stasim auget, secretiones stimulat.

4) His oppositi sunt, qui dicant, secretionem periostei et musculorum ossa circumdantium, qui et ipsi callum secernere dicuntur, frigore prohiberi, quare in fracturis haud raro pseudarthrosin remanere.

5) Denique usum glaciei improbant, si partes subcutaneae inflammantur, quia cutem calorem in intimo organismo ortum compensare putant; qui hanc sententiam sequuntur, calore cutis aucto, in partibus laesis naturam compensare quasi temperationem dicunt, et eo plus caloris cutem radiare, quo in intimo partis laesae sanguinis confluxu aucto gigni; quominus eo modo natura sibi ipsa auxilium ferat, non impediri debere fomentationibus frigidis, quae ne calor radiet, prohibeant. — Ac primum quidem considere-

mus sententiam illorum, qui dicunt, homines rheumatismo et arthritide affectos frigus non pati. Id verum esse experientia docuit, sed cur res ita se habeat, nondum explicari potest, quia anatomia pathologica textuum ita affectorum, haud satis nota est. Casum hanc rem probantem jam nuper in nosocomio nostro observavi:

H. Kircher sexaginta annos natus cataracta lenticulari molli affectus lente discissa valde vexabatur inflammatione vehemente conjunctivae palpebrarum et bulbi. Fomentationes glaciei adhibebantur. Per decem dies glacie ita applicata dolores sublati et conjunctivae injectio minuta. Aegrotus aliquamdiu satis bene se habebat. Glacies removebatur. Subito octo diebus post aegrotus denuo de dolore vehemente oculi querebatur. Conjunctivis multo gravior erat. Fomentationes aquae glacialis denuo applicatae non solum nullam relevationem efficiebant sed contrario dolorem augebant. Nihilominus eodem modo tractare pergebamus, quoad aegrotus dolorem interdum haud minus celeriter abire quam redire et, quamdiu oculi dolores sublati essent, brachium ejusdem lateris doloribus affici dicebat. Ex quo inflammationem oculi generis esse rheumatici cognoscebamus et frigus adhibere desinebamus. Frigoris loco tinctura Aconiti ab aegroto intras sumebatur et ad frontem et pone aurem vesicantia applicabantur. Dolor et rubor ex inflammatione nati nonnullis diebus post sublati erant. —

Deinde formationes texturae fibrosae et serosae frigoris impatientes esse, si in universum dicitur, falsum esse censeo. Quantum ego cognoverim, hanc sententiam cum priori sententia, quae significaret, formationes texturae fibrosae et serosae rheumatismo affectae frigoris impatientes esse congruere puto. Haec igitur altercatio nihil aliud est,

nisi pars prioris. Nam si membrana fibrosa vel serosa modo mechanico inflammatur, fomentationes glaciei maximam vim habent. Prosper fomentationum glaciei eventus in peritonitide puerperarum, cujus causa plus vel minus in mechanicis causis haberi potest, membranas serosas frigus optime pati aperte ostendit. — Calendaria quae dicimus, in partibus quibus frigus adhibitum est, orta hoc frigore effici nemo facile probare poterit, quia hi dolores, qui, si tempestas mutatur, oriuntur, paene in omnibus majoribus cicatricibus exempli gratia in truncis post amputationes saepissime percipiuntur. Eodem modo res se habet in cutis inflammationibus erysipelatosis, quas se frigore applicato natas observasse dicunt. Erysipelata certe non minus vehementia tum existunt, quum laesa pars glacie non adhibita quam adhibita, tractetur. Erysipelatum causae et endemicae et climaticae sunt.

Qui tertiam et quartam sententiam defendunt plane dissonant inter se, quum alteri frigus non posse ad altiora strata descendere, alteri secretioni calli frigus officere, nec raro pseudarthrosin relinqui putent. Contra superiores hoc maxime monuerim, nos in tractandis complicitis fracturis non tam hoc curare, ne musculi inflammatione afficiantur, quam ut superiora strata inflammationem evitent inprimis tela subcutanea, in quae facillime pus descendat. Sane constat crebris experimentis, quae fecerunt cum cuniculis, frigus in superiora strata vix penetrare, qua ipsa re sententia adversariorum, qui timeant, ut satis calli secernatur, plane refellitur. Sed etiam experientia obstat et exemplum quoddam sub finem commentationis allatam idem evincet. Atque ii, qui existimant cutem quasi moderatricem caloris penitus nati emissuram esse inflammationem hoc plane omi-

sisse videntur, cutem in omnibus fere laesionibus, propter quas frigus adhibeatur, aut ipsam simul laesam, aut sanguine sub cute effuso valde intentam esse; tenet igitur cutem nescio qualis affectio praeter naturam, ac necesse est actionem cutis turbari; nihilominus poscunt illi, ut cutis calorem sub ipsa nimis abundanter natum emittat. Quod omnino fieri non potest, nisi ita, ut multum sanguinis versus cutem confluat et refrigerandi caussa ad superficiem propius accedat. Sed nemo negabit ipsam cutem, quum tanta sanguinis copia in eam confluat, facillime affici posse inflammatione. Itaque si recte haberet ratio illa, tantummodo locus inflammationis mutaretur. Pro inflammatione sub cute in altioribus stratis haberemus inflammationem in ipsa cute. Chirurgus autem maxime in fracturis integritatem cutis pluris aestimabit, quam musculorum et telae cellulosae, quod cognitum est inflammationes internarum partium multo celerius nec tam periculose decurrere, si sana cute obtegantur, quam si, disjecta cute, admittatur aer. Sic periculum augetur in fractura, si aut statim laesio cutis adest, aut excitatur inflammatio cutis male tractatae. —

Jam si vim glaciei contemplamur, licet ea maximam in partem ad physicam frigoris naturam reducatur, quae in eo est, ut telae, quae dicuntur contractiles, frigore contrahantur. Quibus in telis sunt vasa maximeque arteriae. Contractis his sanguinis concursus ad partes frigore tactas deminuatur oportet, unde quidem sequitur, ut dolores subleventur, qui tumore et intensione majore sanguinis concursu effecta, qua re nervi et premantur et distrahantur, excitari solent. Tamen necesse erit, ad nervos etiam omisso sanguinis aditu frigus grave aliquid valere, quoniam experimentis constat, non modo partem frigore tactam, sed omnia

quae tanquam circumsedent nervum omni sensu privari. Veluti immersa articulatione cubitali in aquam glacialem, digiti sensu carent, inprimis ii, ad quos nervus ulnaris, qui in articulatione cubitali altissime jacet, procurrit, ideoque facillime frigus admittit. Altera vis frigoris est, quod imminuit inflammationem, quae adest, aut praecavet eam, si quae immineat. Est autem posita in eadem lege physica, quam supra memoravimus, qua indicatur, vasa frigore contrahi itemque lumina eorum deminui et condensari parietes. Possunt igitur vasa minus sanguinis recipere et propter condensatos parietes parum facile transsudationem, quae dicitur, admittere. Sic coercent sanguinis abundantiam et exsudationem cum ea junctam in quosdam terminos.

Frigus ad sistendas haemorrhagias multum valet, si parenchymatosae sunt, vel e parvis arteriis in cavis excedunt, ubi vasa non bene ligatura circumdari possunt. Quod maxime valet in operationibus seu laesionibus in ore aliisque cavis, in linqua vel si parva vasa percisa retrahantur inter texturam muscularem, ita tamen, ut etiam nunc sanguinem effundunt. Talibus in casibus plerumque sufficiunt glaciei particulae in oris cavo positae. Aqua glacialis pro styptico adhibita in plasticis operationibus et neoplasmatibus exstirpatis, quibus ademptis cutis coaptanda est, eo praestat ceteris stypticis vi chemica valentibus, quod sanationem per primam intentionem non impedit, ut illa faciunt. Restat, ut de ratione frigoris applicandi pauca adjiciamus. In glacie adhibenda haec praecipue respicienda sunt:

1. Ne sacculi glacie referti eam partem, in qua collocati sunt, premant. Itaque non nimis replendi sunt imminuendaeque glaciei particulae, priusquam in vesicam immit-

tuntur, ne acutis cristis et spinis cutis injucunde tangatur. Praeterea sacculos suspendere oportet.

2. Ne hae partes frigore pereant. Quamobrem sacculus non in ipsa cute collocandus, sed pulvillus inter cutem et sacculum ponendus est. Aegrotis, si modo advenerunt algentque, non prius fomentationes glaciei imponendae sunt, quam aegroti satis caleant. Stromeyer suadet, ut sistatur glaciei applicatio, ubi tertio vel quarto die post laesam corporis partem suppuratio oritur, quod eo tempore ad algendum pronus esse solet aegrotus frigusque eum injucundo modo attingit. Quo tempore praeterito, inquit ille, per complura hebdomada applicationem glaciei continuare, non est, cur dubitemus.

Ii casus, in quibus glaciem adhiberi utile ac necessarium videtur, ut in universum dicam, hi sunt:

In gravioribus laesionibus quibuscunque partes necessariae ad vitam sustentandam vel nobiliores una aut sunt affectae aut per morbi decursum affici possunt et in omnibus laesionibus, quibus, ne magna suppuratio exoriatur, timor est periculumque affertur pyaemiae. In priorum morborum numerum in primis capitis vulnera referuntur, in oculorum propinquitate, contusiones ventri tegumentorum, quibus ne peritonitis existat, metuendum est. Ad alteram classem pertinent fracturae apertis vulneribus conjunctae, contusiones, fracturae articulationum magnopere valentium aut in earum propinquitate.

In laesionibus quae aut exteriores capitis partes aut in propinquitate nobilium membrorum sitas tetigerunt, glacies adhibetur, ut congestiones prohibeantur, quae eo periculosiores sunt, quo facilius organon laesum offenditur. Fracturae quidem graves luculenta praebuerunt exempla, quantum glaciei usu efficiatur. Hac in re permagnum hoc emolumentum est, quod, ne suppu-

ratio ultra partem laesam propagetur, evitatur, etsi puris natura non eadem bona est atque in vulneribus calore tractatis. Quodsi per breve tantum tempus glacies adhibita est, plerumque sine ulla dubitatione fascia applicari potest, si modo in loco vulneris foramen patet, ex quo puri effluere liceat. —

Quibus expositis tres casus afferam, quibus, quantum glacies in fracturis complicatis adhibita valeat, demonstretur.

R. S., Weidensis, viginti tres annos natus, homo habitu corporis brevis et obesus, musculis satis validis, quamquam satis tumido corpore die XXXI mensis Januarii noctis secunda hora in nosocomium venit fractura affectus complicata in inferiore tertia parte laevi cruris, quam ceperat per gradus satis altos dejectus in lapidem. — Tibia et fibula fere in pari altitudine fractae erant, praeterea vulnus unum digitum altum cutem penetraverat, ex quo magna sanguinis copia effundebatur. In perscrutanda laesa parte crepitatio sentiebatur, quasi compluribus ab osse ruptis particulis orta. Tamen ex vulnere harum particularum solutarum nulla removeri potuit neque, ut diutius inquireretur, dolores et sanguinis effusio patiebantur. Partes molles proximae effuso sanguine erant jam infiltratae tumorque augebatur magis magisque congestionibus. quae ad partes vulneratas pertinebant. Dislocatio exigui momenti erat. Aegrotus primum sic in lectum deferebatur, ut in tergo positi inferior laeva extremitas supinata paullum abducta et in genu articulatione semiflexa esset. Sanguinis effusionem fomentationibus glaciei inhibere conati sumus, quod sub lucem ortam satis effectum erat. Quo facto vulnus collodio clausum est, fomentationes glaciei continuebantur.

Primis diebus apparebant nulla fere symptomata reactionis, dolores tolerabiles erant, febris magnam vim non habebat. Sed illae extremae partes, quas dixi, etsi continua glacialia fomenta applicabantur, non paullum tumescebant. Per vulnus collodio clausum, etiamtum liquor cruentus sensim perfluebat, quam ob causam saepius renovari debebat. Aegrotus dormiebat per primas noctes opio dato complures horas tranquille, vero quarta nocte magnis doloribus in loco fracturae afficiebatur febrisque augebatur. Continuebatur fomentatio glaciei. Sequentibus diebus magis tumescebat crus, aegrotus delirabat ac saepius de frigore querebatur. Qua re inprimis altera et vehementibus doloribus unius loci, qui parvam fluctuationem habebat, commoti sumus, ut hoc loco incisionem duos digitos longam faceremus. Quum quo ex vulnere liquidum pus et foetidum profluxisset simulque aegroti melior valetudo rediisset, tamen fomenta glaciei continuebantur. Die nono fomento collodii adempto, quod aegrotus dolores hujus loci sentiebat atque cuti, quae circa vulnus gangraena deleta erat, remota ex vulnere aliquid puris effundebatur. Quamquam proximis diebus aegrotus meliore valetudine utebatur tumorque cruris paullum minuebatur, tamen pus idem atque antea erat, quamobrem iterum incisio facta est, qua pus ex vulnere abire posset. Quum usque ad quintum decimum diem prognosis certa non fuisset, ab hoc tempore, quod pus melius fieret, febrisque minueretur, magis magisque meliorem statum indicebat. Fomentationes glaciei etiam quatuordecim dies continuabantur, quare suppuratio sic coercebatur, ut post quinque hebdomada post laesionem, fomentum illud, quod dicitur, Sculteticum, applicari posset. Postquam consolidatio fragmentorum fomento firmiore nondum adhibito facta est, extremitas, etsi digito

abbreviata est, sine ulla aut in anguli formam mutatione aut alia deformitate sanata erat. Aperti vero loci quum difficultates sanandi praebere ac speciem ulcerum fistulosorum sumere viderentur, necrotica ossum parvula fragmenta suspiciebantur, quae adesse postea specillo adhibito satis elucebat. Quum hoc fragmentum nondum moveri posse sentiremus, etiam usque ad X Julium opperiri cogebamur, qua die ossis partem mortificatam ut removeremus, nobis contigit. — Quo facto fistula celeriter claudebatur. Jam mense Majo aegrotus, ut iret, conatus erat, atque mense Julio ex nosocomio nostro dimissus est crure ut supra commemoravi, paullum abbreviato, quod vero in eunte illo paene non conspici potuit. Atque aegrotus id tantum querebatur, quod tendinem Achillis, quasi paullum comminutam esse sentiebat.

Alter quidem casus tanti erat momenti, ut amputatio proponeretur refutantique mulieri ob id solum non amplius suaderetur, quod glacies poterat applicari: quippe qua in applicanda sola conservandi brachii conditio sita esse existimaretur.

Rosine Schütz, Jenensis, sexaginta annos nata, die vicesimo septimo mensis Maji, suppellectilem quum manibus teneret, vertigine correpta praeceps per scalae ligneae gradus ivit gravesque inde duxit vulnerationes. Laevo in frontis osse laevoque humero contusio quum tumorem exiguum levemque dolorem efficeret, in tergo articuli cubitalis ejusdem lateris duo aperta vulnera quae multum sanguinem effundebant atque circa articulum magnus tumor dolorque, ubi aut premebatur aut movebatur, permagnus, nec non emphysema cutis inventa sunt. Continuata perscrutatione quae inter ebrietatem chloroformo effectam instituebatur, crepitatio

quaedam in inferiore humeri parte audita est ita quidem, ut illa parte hoc extremum articulum in frustula parva infrictum esse videretur. Itaque haec constituenda diagnosis erat: Fractura comminuta complicata cum duobus cutis vulneribus.

Praecipua, quae se offerebat, indicatio, haec erat, ut cutis vulnera clauderentur, quod quidem collodio expertum est. Antea vero orta est quaestio, utrum posset brachium in statu non minus inutili servari, an amputandum brachium tali rerum conditione esse indicaretur. — Erant haud exiguae amputandi brachii causae: primum quod, quum essent ista duo in exteriore parte vulnera suppuratio quominus exoriretur, prohiberi non poterat, praesertim quum tumoris natura indicaretur esse jam sanguinis quamdam copiam in vicinas texturas effusam. — Deinde quod fractura tam vicina articulo erat, ita ut facile in ipsum articulum se extendere posset oririque articuli inflammatio vehementissima, quae verisimilius etiam erat, ut existeret, utcunque (quod quidem certo non potuit constitui) alterum ex vulneribus in ipsum articulum attingebat. —

Tertia causa haec est, quod in singulas particulas infricta videbatur inferior humeri pars. Poterat igitur ossis aliqua pars prorsus abrupta separataque a periosteo esse ut nutriri non amplius posset. Quod si ita erat, necrosis, suppuratio, denique remotio per operationem partis necroticae haud procul esse poterat.

Postremum aetas aegrotae mulieris respicienda erat. Contusio partium mollium ideoque suppuratio si late extensa erit, (quod quidem nondum satis apparet) aegrotae pyaemia imminet. Neque vero minus constat secretionem, calli exiguam esse in senibus, quae igitur fieri potest, ut ad conjun-

gendas partes ossis hic non sufficiat. Quo in casu pseudarthrosis aegrotae imminet, quae illi multo molestior defectu artus foret. Resectio ossis diffracti per metum haud exiguae suppurationis, quae evitari non posset, refutata est. —

Amputationem primariam aegrotae non concedentis brachium ad tempus obligabatur, quo vinculo totum brachium recto angulo flexum et inter pronationem et supinationem tenebatur. Ac vinculum quidem ita applicatum est, ut, quum posterior regio cubitalis pateret, vulnera collodii tantum fomento tecta, aspici possent. Deinde postquam aegrota in lecto posita est, in brachio quiete jacente sacculi glacie repleti applicabantur. Aegrota per noctium sequentium nonnullas horas somni particeps quum de gravibus laesae partis doloribus non conquereretur magis capitis cardialgicoque dolore vexabatur, in quos in capite frigidis fomentis, et intus aqua Laurocerasi Morphioque pugnabatur.

Collodii fomenta quamvis saepe repeterentur applicareturque glacies, sanguis tamen effundi non desierat. Quam in emanationem, quam jam esset exigua, nihil aliud adhibitum est. Frigus continuo admotum, vulneraque exteriora quam diligentissime clausa suppurationem retinere non potuerant. Alterum quidem vulnus cum esset clausum, alterum e quo sanguis effusus erat haud exiguam puris copiam edidit quod et desuper et deorsum e foramine exprimebatur. Tamen glaciem adhibere non desiimus. Obstructio, quae erat, magnesia sulfurica tolli non poterat. Imminuta suppuratione tumoreque circa articulum cubitalem valde extenuato, fomentum quum admodum laxatum esset, desumptum est. Obstructio quum jam per decem dies resistens variis remediis, durasset, sumpta demum olei Ricini uncia una et dimidia mixta cum tribus guttis olei Crotonis sublevata est. — Glaciei

fomentationes usque ad diem decimum septimum mensis Junii continuatae cum per nonnullos dies omissae essent, aucto rursus dolore usque ad diem vicesimum primum mensis Junii, saepius tamen intermissae, repetitae sunt. Tum quoniam cutis circa articulationem rubra adhuc et prona ad percipiendum dolorem erat, aquae plumbi fomentationes factae sunt et ademto dolore, mox conatus movendi articulationis cubitalis ad vitandam anchylosin instituti sunt. Die octavo mensis Julii aegrota dimissa brachiumque in mitella tenere jussa est. Atque brachium quidem praeterquam quod paullum deforme erat neque poterat plane extendi, sanatum erat, aegrotaque, quin, aucto et robore et agilitate, plane eo utatur, haud multum aberit. —

Alter casus, quem enarrare hoc loco non ineptum videtur, hic est: Fridericus Robertus Uhrlau, Dorndorfensis, XXII annos natus die vicesimo mensis Junii, dum sederet in currus prima sella equi solea ferrea tantopere in adverso dextri cruris latere feritur, ut pede humum non amplius posset attingere. Vulnus apertum digitum unum et dimidium longam, latum dimidium, per paucas modo horas sanguine effuso, effundere mox ultro desiit. Aegrotus in lectum collocatus est eique a medico arcessito vinculum chartae densatae applicatum est. Qua ratione adhibita, quum dolor non imminueretur, sed augeretur, quatuor diebus post illam laesionem in nosocomium se contulit, ubi statum praesentem hunc esse perspectum est: Aegrotus, valida statura, bona semper floruit valetudine. In inferiore parte cruris dextri vulnus digitum dimidium profundum est, quod siccum est neque ullam secretionem praebet. Paullum supra hoc vulnus locus erat, qui tactus dolore maximo afficiebatur pressusque fortius exiguam mobilitatem in tibiae continuitate osten-

debat. Dolor pressis aliis quoque locis tibiae semper in eodem loco remanebat. Crepitatio autem percipi non poterat. Jam haec posita est diagnosis, ut tibia directione transversa atque sine ulla dislocatione fracta sit. — Collocato in latere aegroto effectaque in genu flexione exigua per quatuordecim dies glacies applicabatur in loco laeso. Nullis paene tunc tempore aegrotus vexatus est doloribus, caruitque vulnus secretione per dies octo; quae autem tum exstitit secretio tenuis atque exigua neque ultra apertum locum transiit. Quatuordecim diebus post vinculum glutinosum applicatum est, in quo foramen laeso loco respondens factum est; in ipso vulnere linteum carptum ponebatur unquento cerei oblitum. Jam in melius se vertebat suppuratio, qua aucta vulneris natura ulceris simplicis atque proni ad sanandum erat. Jamque vicesimo primo die post fractam tibiam tumor durus exstitit, qui calli tumor existimandus erat. Vinculum postquam per quatuordecim dies applicatum remansit, sublatum est, quia nimis laxatum erat. Jam aegrotus lecto tollere vertereque crus sine dolore poterat, eratque consolidatio effecta. Vulnusque usque eo sanatum erat, ut longum esset pollicem dimidium, latum pollicis quartam partem. Granula altitudinem repleverant vulnerisque fundus in eadem planitie, qua cutis, situs erat. Per quinque deinde dies fascia simplex a pede usque ad genu quotidie applicata est permissumque aegroto, ut baculis innixus interdum ambularet.

T h e s e s.

I.

Lupus est morbus constitutionis, quare, ut sanetur remedia interna adhibenda sunt simul cum externis.

II.

Omnes inflammationes acutae, nisi rheumaticae sunt, optime tractantur modo antiphlogistico.

III.

Inflammationes suppurativae chronicae artuum amputationem seu resectionem indicant.

IV.

Periostitis progressiva exsistit.

V.

Carcinoma epitheliale optime sanatur operatione plastica.